

TOMUS XXXIV.
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:

THESES CHRISTIANAE
DE
MAGNIS ET
VLTIMIS CO-
MITIIS.

Scriptæ, & propositæ à

DANIELE TOSSANO S. THEOLOGIAE
D. ET PROFESSORE IN ACADEMIA
Heidelbergensi: *Vt ad nostri consolationem &
exsuscitationem ad pietatis officia, vltimis
his temporibus serio expendantur:*

De quibus in publica disputatione respondebit
eruditus Iuuenis,

HERMANNVS LIGNARIDVS VVEST-
PHALVS, S. THEOLOGIAE CANDIDATVS.

Ad diem xxxi. Augusti, horis matutinis.



HEIDELBERGÆ,
Apud Abrahamum Smeismannum.
cIo. Io. xciv.



THESES CHRISTIANAE
DE
MAGNIS
VALTIMIS CO
MITIS.

Scripsit, & proposuit
DANIEL FORSTNER, S. THEOLOGICAE
D. ET PROFESSOR IN ACADEMIA
Hallebergensi: In aed. publicae
examinationis a patris officio, et
in temporibus suis examinatus:
De quibus publicis disputationibus respondit
HERMANNUS EIGENHARDUS WESTPHALIS
S. THEOLOGICAE CANDIDATUS.
Addidit xxxi. Augusti, huius mensis.



HEIDELBERG
Apud Abbatem S. Martini
MDCCLXXII.





THESES CHRISTIANÆ
DE MAGNIS ET VLTIMIS COMITIIS.

THESIS PRIMA.



ARIA Comitiorum siue conuentuum populi Romani genera fuerunt, in quibus vel Magistratus eligebantur, vel Leges adprobabantur: vel de aliis rebus magnis statuebatur.

I.

Inter illa erant & magna Comitia, quæ alia appellatione centuriata dicebantur in negotiis grauioribus, vt cū de capite ciuis Romani agebatur, ad quod iudicium ferendum totus populus conuenire solebat.

Cicero, in Orat. post reditum: & pro domo.

III.

Sic & in Imperio solennia Comitia habemus, in quibus omnes Imperij ordines cum Imperatore cōueniunt, vt vel de rerum summa, vel de grauaminibus singulorum ordinum tractetur.

IV.

Quod si nostri temporis, aut patrum nostrorum memoriam repetemus: inueniemus in Imperij Comitiiis grauamina sæpè contra ipsam Curiam Romanam liberrimè proposita, & multo æquiora fuisse, quàm Pontificiorum, aut aliorum antistitum, nihil nisi carcercs & proscriptiones spirantium, distractionesque molientium, conciliabula.

A ij

Id-

V.

Idipsum facile animaduertent, qui recordabuntur, quàm iniquè & perfidè in Concilio Constantiensi cū Iohanne Huf à Pontificiis prælatis: rursus, quàm grauitè simul & moderatè cum Luthero Wormatiæ anno 21. Item cū Euangelicis anno 30. in publicis Imperij Comitiiis sit actum, vbi & auditi, & ad liberam Confessionem edendam admissi fuère.

VI.

Quod etsi trepidè satis propter circumstantia pericula tunc factum est, quo nomine Confessio Augustana cum Apologia sequētibus annis recognita fuit: in illis tamen Comitiiis diuina prouidentia, quam adhuc quotidie experimur, omnia sic moderata est, ne ex libidine importunorum & irrequietorum rabularum, durior aliqua sententia contra Euangelicos ferretur.

VII.

Illam Dei prouidentiam sicut meritò gratis animis agnoscimus & suspicimus: ita necesse est nos in his imperiorum motibus, & in tanta eorum petulantia & ferocia, qui mansueti Christi discipuli ac fidi ministri, non autem superbi & crudeles dominatores fidei alienæ esse debebant: de futuris illis magnis Comitiiis, de quibus in præsentia dicere instituimus, & cogitare sæpe, & illorum recordatione nos contra maleuolorum præiudicia consolari, & sancto paroxysmo ad charitatem & bona opera exacuerè, idque eò magis, quò diem illum vltimum magis appropinquare videmus.

Hebr. 10.

VIII.

Super Mat-
thæum.

Siue comedam, siue bibam, siue aliquid aliud agam (inquiēbat B. Hieronymus) semper vox illa in auribus meis sonare videtur: Surgite mortui & venite ad iudicium.

Et

I X.

Et rectè monet Ambrosius, nihil esse quod magis Lib. 1. offic. c. 26.
 conducat ad vitam honestam, quàm vt credamus eũ
 iudicem in illis Comitiiis futurum, quem & occulta
 non fallant, indecora offendant & honesta dele-
 ctent.

X.

De illis porrò Comitiiis, vt ordine differamus, hæc
 expendenda videntur: **TEMPVS: SIGNA: LO-
 CVS: IVDIX ET ASSESSORES IVDICII: PER-
 SONÆ IVDICANDÆ: MODVS ET FORMA
 IVDICII, vnà cum sententia, quæ tunc feretur.**

X I.

Indubitatum ante omnia esse debet, quod Scri-
 ptura tam disertè tradit, *Deum videlicet statuissè diem quo* Act. 17.
2. Cor. 5.
iustè iudicaturus est orbem terrarum, & nos omnes sistendos
coram tribunali Christi: Et (vt veteres ethnici ipsi agno-
uerunt) affore tempus,

Quo mare, quo tellus correptaq; regia cæli

Ardeat, & mundi moles operosa labore.

Qu id lib 1.
Metamorph

X II.

Nam licet hîc quoque incipiant Dei Iudicia, & 1. Pet. 4.
 quotidie occulta multa Iudicia Deus exerceat; cùm
 tamen constet, plurimis viris bonis malè esse, premi-
 q; sæpenuerò innocentes, impios multos triumphare,
 & sine vlllo ferè angore in sepulchrum descendere,
 facilè hinc quicumque inter omnes gentes sapientes
 fuère, ratiocinati sunt superesse manifestum aliquod
 & vniuersale iudicium, eaque tempora, quæ piorum
 respectu vocantur, *tempora refrigerationis, siue recreatio-* Act. 3.
nis, & restitutionis omnium: quemadmodum impiorum re-
spectu erunt instar fornacis ardentis, quæ superbos omnes &
impios tanquam stipulam instammabit, & consumet. Malach. 4.

A iij

Et

XIII.

Eibr. 20. de
Civit. Dei,
cap. 2.

Et fit sæpe quidem (inquit Augustinus) ut nesciamus in his terris, quo iudicio Deus hæc, vel illa faciat, aut fieri sinat: vbi autem venerit illa dies magnorum Comitiorum, siue dies Domini, non solum quæcunque tunc iudicabuntur, verum & quæcunque ab initio mundi à Domino acta & iudicata fuere, iustissima esse reperientur.

XIV.

TEMPVS.

Cæterum de tempore illorum Comitiorum non eodem modo loqui videtur Apostolus Paulus: Nam sic nonnunquam diei illius meminit ac si esset præforibus, vt 1. Thess. 4. vers. 15. Rursus alibi vt 2. Thess. 2. monet eos ne turbentur, quasi instet dies ille Christi.

XV.

Tom. 2. e-
pist. 30.

2. Pet. 1.

Cuius rei, optimam rationem reddere videtur D. Augustinus: Non tardaturum diem Domini scribunt Apostoli aduersus securos illos & profanos, quos D. Petrus quoque reprehendit, qui volebant inanem esse pollicitationem aduentus eius: & Dominum diu tardare. Meritò autem (inquit Augustinus) vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inueniat Domini aduentus: Imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit suæ vitæ vltimus dies. Quare singulis momentis est homini suprema illa dies expectanda.

XVI.

Rursus certum est, non ignorasse D. Paulum vltimum diem suo tempore non venturum, licet ad eum se quotidie compararet: Ideo alibi de nonnullis, quæ illum diem præcedere debebant, commonefacit, & eos redarguit, qui commentitijs vel scriptis, vel reuelationibus, aduentus Christi diem & horam quasi definiebant, atque ita multorum animos irrequietos reddebant.

Præ-

XVII.

Præclarè quoque ibidem Augustinus: Non is, inquit, propriè diligit aduentum Domini, qui eum asserit appropinquare: nec ille, qui eum asserit non propinquare: Sed ille potius, qui eum siue propè, siue longè sit, sinceritate fidei, firmitate spei, ardore caritatis expectat.

Epist. ad Herych.

XVIII.

Voluit enim Dominus latere vnum diem, vt dies omnes obseruentur, ac perpetuò vigilemus & oremus, ideò frustra (inquit idem) annos qui huic seculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire, non esse in nostra potestate, ex ore veritatis audiamus.

XIX.

Alij ab ascensu Christi quingentos, alij mille annos vsque ad vltimum diem numerarunt, sed coniecturis tantum humanis: Alij Eliæ Thesbitæ dictum esse putarunt, mundum sex millibus annorum duraturum, cum sit Rabini cuiusdam eiusdem nominis, cuius verba recitantur 4. parte Talmud.

Vide Chron. Beroaldi lib. 2. p. 64.

XX.

At omnium de hac re calculantium digitos, (vt venustè idem Augustinus eodem loco ait) resoluit & quiescere iubet, ille qui dixit: Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.

XXI.

Imò & Christus ipse, tam disertè pronunciauit, de die illo ac hora, siue articulo temporis, neminem scire, ne Angelos quidem qui in cœlis sunt: nec ipsum Filium, sed Patrem.

Marci 13.

XXII.

Quæ verba Christi nonnulli quidem patres nonnulli ambiguè sunt interpretati: quod id nimirum dixerit

Hilar. August.

rit Christus, non quod nesciat, sed tacendi dispensatione: vel quod nescire faciat eos, quibus scire non expedit: Sed simplex solutio videtur, quam B. Cyrillus quoque adfert, lib. 9. thesauri, c. 4. eum nesciuisse scientia humana, siue qua Filius hominis: quo respectu etiam, profecit scientia & sapientia, & hominis proprium est (inquit Cyrillus) ignorare futura: licet qua λόγος, per quem vniuersa tempora & secula facta sunt, omnia sciat, & facile largiamur, eum etiam secundum humanam naturam scire nunc diem Iudicij: sed per reuelationem diuinam, siue ex λόγῳ, cui assumpta natura personaliter est vnita.

Luc. 2.

XXIII.

SIGNA. Quod ad signa illius magni Iudicij attinet; triplicia nobis in Euangelio proponuntur: Remotiora nonnulla: alia viciniora: alia iam presentis illius diei signa.

XXIV.

Matth. 24. Remotiora sunt, quod predicabitur Euangelium in toto mundo. Sed difficile est (inquit Augustinus) numerare, aut definire loca, in quibus nondum predicatum est; & licet nobis constaret, iam in omnibus gentibus predicatum fuisse Euangelium, ne sic quidem possemus dicere quantum temporis supersit usque ad finem, sed saltem magis magisque iam propinquare intelligeremus.

XXV.

1. Corint. 10. Nec precedunt illa signa vltimum diem, vt horam ipsam, vel diem nobis monstrent: sed vt statuamus ab initio predicationis Euangelij per vniuersum orbem, nouissimam esse horam, & finem seculorum aduenisse, quia in Christo omnes prophetiae impletae sunt, & ruentibus Monarchiis, omnia concludet aduentus ille Christi, vereque consummabitur eius Regnum.

Inter

XXVI.

Inter remota signa numerare possumus bella & rumores bellorum. Item quòd insurget gens in gentem, & similia: quæ tamen omnia sua interualla habitura, & nonnunquam alligandum Diabolum, aliquando magis laxatum illi iri habenas ex Apocalypsi colligimus.

Apocal. 20.

XXVII.

Nam de Numero mille annorum ita præcisè definire, (cùm toties in Scripturis numerus certus pro incerto ponatur) aut regnum aliquod mundanum in his terris ante vltimum Christi aduentum cum Chiliaftis imaginari, friuolum, & à Scripturæ prædictionibus, atque à conditione Regni Christi alienum est. Illorum enim auctor Papias Spirituales & mysticas Apostolorum doctrinas corporaliter intellexit, vt rectè monet Eusebius, nec discernere ea potuit, quæ in figura, velut latentibus & paruulis loquebantur.

Histor. Eccl. li. 3. c. 39

XXVIII.

Ad viciniora Signa referri possunt, resectio Antichristi, & eius abolitio per instauratam prædicationem Euangelij, & in primis per illustrem Christi aduentum: quanquam inchoatio Regni Antichristi ad remotiora signa pertinet.

2. Theff. 2.

XXIX.

Expectatur & à nonnullis ante iudicium, iuxta id quod innuit D. Paulus, Assumptio Iudæorum, eorundemque in viam reuocatio. Ita quippe exilium eis minantur prophetæ, vt credituris & conuertendis spes veniæ fiat: Ideo non insultandum putat Ambrosius Iudæis, sed potius optandum vt regressi in Ecclesiam recuperent opes, quibus aliæ gentes ipsis olim aspernantibus locupletatæ fuerunt.

Rom. II.

XXX.

Signa porrò propinquiora erunt horrendæ Imperiorum,

B

riorum,

Esa. 13.
Ezech 32.
Luc. 21.
Marc. 13.

riorum, & rerum tum Ecclesiasticarum, tum politicarum confusiones, quæ more Scripturæ vſitato adumbrantur per signa illa stupenda in Sole, Luna & ſyderibus, poteſtatum cœli agitationem, anguſtiam & trepidationem hominum & ſimilia.

XXXI.

Ecclipses.

Et ſignorum illorum in cœlo & terra mentionem facit Chriſtus, quia deſtructionem & finem mundi coniungit cum deſtructione vltima Hieroſolymæ, quam ſigna nonnulla aſpectabilia & tetra in cœlo & terra, præceſſiſſe, teſtantur Iosephus, & Egeſippus. Nullæ autem tetriores ſunt Ecclipses, quàm velocitas, vel defectio eorū, qui lumina Eccleſiæ & Republicæ eſſe debebant.

XXXII.

2. Pet. 3.

Coniungit autem Chriſtus Hieroſolymæ & mundi finem: quia multa habebunt ſimilia. Vt enim illa propter contemptum Euangelium graues ſibi accerſiuit pœnas: ſic mundus quoque ſub finem. Vt tum maximè dominabatur ſecuritas, perfidia & impietas, cùm appropinquaret illius ciuitatis interitus: Sic ſub mundi finem accidet. Et ſicut Hieroſolyma cum templo, igne deſlagrauit; ita in die iudicij cœli conflagrantes ſoluentur & elementa liqueſcent.

XXXIII.

Chronic.
Carion li. 3.

Neque tamen eorum coniecturam magno fundamento niti putamus, qui exiſtimarunt, quemadmodum ab exitu ex Ægypto ad vltimam politiæ Iudaicæ deſtructionem numerentur anni circiter 1582: Sic proximum fore mundi finem, quando totidem annos à Chriſto nato numerabimus.

XXXIV.

Signum venientis iam, præſtoque futuri ſummi iudicij

iudicij magnorumque illorum Comitiorum, erit **S I-** Matth. 24.
Luc. 21.
C N V M Filij hominis, id est, interprete Luca, Appari-
tio ipsa Filij hominis, nēpe Domini nostri Iesu Chri-
sti, in nubibus, cum summa gloria & maiestate, quæ
omnibus erit conspicua. Et hæc quidem de Signis.

XXXV.

Locum illorum Comitiorum certum non designat **LOCVS.**
Scriptura: nisi quod Christum è cælis descensurum
& in nubibus appariturū testatur: vt possit ab omni- 1. Thess. 4.
bus aspici, qui & excitabuntur, & tunc supererunt, in 1. Cor. 15.
eiusque occursum in aërem subita quadam *ἀλλογή*,
immutatione, rapiuntur.

XXXVI.

Quod de Valle Iosaphat scribunt & sentiunt non-
nulli, ibi videlicet futurum locum Iudicij: partim ex
Iudæis desumptum est, qui falsa hypothesi decepti,
Dominum in illa valle deuictis corporali victoria
hostibus conuiuia cum bonis celebraturum som-
niant: partim ex Ioëlis loco non satis intellecto, na-
rum est.

XXXVII.

Nam quod scribit Ioël, Dominum congregatu- Ioel. 2.
rum omnes gentes & eas deducturum in Vallem Jo-
saphat, & disceptaturum cum eis pro populo suo, iu-
dicaturumque omnes gentes in circuitu, non pro-
priè & simpliciter de vltimo Iudicio, sed de pœnis in-
fligendis hostibus populi Iudaici in ipsa Judæa, allu-
sione facta ad memorabilem illam victoriam, quam
contra varias gentes Josaphat obtinuit, gratias po- 2. Chronic.
20.
stea agens in valle Beracha, à doctioribus interpreti-
bus accipitur: Vel, vt vult Mercerus, de iudicio gra-
tię, quasi Josaphat, nomen sit appellatiuum, & Dei
iudicium, quo miserum gentium statum in melius re-
stituerit, significet.

B ij

JVD EX

XXXVIII.

IVDEX.

Matth. 25.
2 Timoth 4
Lib. 20. de
Ciuit. Dei,
6. 30.

JVD EX in illis Comitibus vltimis erit (testante Scriptura & articulis fidei) Dominus noster Iesus Christus. Quare cum in prophetis literis ad nouissimum Iudicium Deus dicitur esse venturus (inquit Augustinus) FILIVS est intelligendus: quia etsi Pater ipse iudicabit: per filium, qui visibili forma, nempe humana iudicabit, sicut in illa fuit iudicatus, id fiet.

XXXIX.

Iohan. 5.

Daniel. 7.
Act. 17.
Apocal. 1.

Idcirco dicitur Pater omne iudicium dedisse Filio, & non iudicare quenquam: scilicet quoad executionem & solennitatem illius iudicij, quod visibiliter peragetur; non quod Pater excludatur, siquidem Antiquum dierum cum Filio hominis in illo Iudicio coniungit Daniel, & pronunciat Apostolus Deum iudicaturum, sed per virum illum, quem definiit ut eum videant illi ipsi qui eum transfixerunt.

XL.

1. Cor. 6.
Matth. 19.

Quod verò Sancti mundum iudicaturi dicuntur: Item futurum, ut Apostoli sedeant super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël: illa per similitudinem iudiciorum terrenorum dicuntur, in quibus sunt certi assessores: & sensus est, fore eos non solum consortes gloriæ cœlestis, Verum etiam suo modo iudicaturos mundum: quia & Christo assidebunt in gloria, & ad mundi iudicium, & impiorum, qui pios in hac vita persecuti sunt, confusionem, non parum faciet, quod Sancti apud Christum socij erunt vitæ cœlestis.

XLI.

IUDICAN-
DI.

PERSONÆ IUDICANDÆ erunt sine exceptione omnes ab Adamo ad vltimum, vsque in his terris
natum

U
natum. Huc conuocabuntur omnes ad magna illa
Comitia, siue Reges, principes, nobiles, ignobiles,
Ecclesiastici, laici, viri, foeminae, pueri, infantes: nulla
hic vel dignitatis, vel ætatis, vel valetudinis excusa-
tio erit: & vel inuiti ab Angelis colligentur tanquam Matth. 13.
in fasciculum, qui in iniquitate perseuerarunt, vt pro-
iiciantur in fornacem ignis.

XLII.

Illi, inquam, impij iudicabuntur vnà cum Diabo-
lis, qui etiam seruari dicuntur ad Iudicium. 2. Petri 2.
& iudicabuntur (teste D. Paulo) tum viui, tum mor- 2. Timoth. 4
tui: Viui, nimirum qui supererunt ad diem vsque iu- 1. Cor. 15.
dicij, & subito transmutabuntur: quæ transmutatio
tamen species quædam mortis erit: quia permutatio
fiet status huius vitæ cum alio statu.

XLIII.

Cæterum quod credentes in Christum dicuntur Ioh. 8.
non venturi in iudicium, id sic & rectè quidem distin-
guit Augustinus: Secundum iudicium discretionis, Tractat 22.
in Iohan.
quo discernentur oues ab hircis, & triticum Domini
à zizaniis, nos omnes exhiberi oportet ante Christi
tribunal: Secundum iudicium autem damnationis,
in illud iudicium sancti non venient, sed liberati per
Christum transibunt ad vitam æternam.

XLIV.

In primis verò grauem illum iudicem & seuerum Psal. 82.
sentient, qui in hoc mundo vel solutos se legibus pu-
tant, vel crudeliter dominantur, & viduis ac pupillis
ius non reddunt, vel omnia iura peruertunt, & suam
libidinem iuris & æqui normam esse volunt.

XLV.

Et ante omnes procul dubio ij qui sub specie pietatis,
B iij

Matth. 24.
Philipp. 3.

Cyprian. de
Idolorum
vanit.

tis, Religionis & ordinis Ecclesiastici, Ecclesiam premunt, audacter & confidenter ei dominari volunt, nihil nisi discordias serunt, & conseruos suos absente Domino verberant, ventrique & ambitioni, non Domino seruiunt: Vulgus in odium nominis nostri cogunt: vt nos odisse incipiant homines, antequam nosse, ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.

XLVI.

At illi recordari debebant eius, quod verissime Augustinus ad Maximinum quendam Donatistarum Episcopum scribit: Transit honor huius mundi: Transit ambitio: In futuro Christi iudicio non greges assentatorum, aut muliercularum (quas illi Demagogi sua garrulitate inescare solent) adhibebuntur ad defensionem: vbi accusare coeperit conscientia, & conscientiarum arbiter iudicare. Quæ hîc ambitiosos illos dictatores nihil nisi anathematismos contra Ecclesias reformatas crepantes, honorare videntur, ibi onerabunt: quæ releuare, grauabunt.

XLVII.

Daniel. 12.

Matth. 7.

Quemadmodum enim fidi & pacifici pastores ac doctores, qui multos de vera iustitia erudiuerint, stellarum instar splendebunt: ita illis Ecclesiarum turbatoribus & rabulis dicetur: Nunquam noui vos: discedite à me, qui operam datis iniquitati.

XLVIII.

MODVS.

Supereft vltimum, de MODO & FORMA iudicij.

XLIX.

Ad formam tria hæc pertinent: Modus quo veniet & apparebit Iudex: Sententia quam feret: Et illius sententiæ executio.

De

L.

De primo docet Scriptura eum venturum de cœlo, cum Angelis potentia suæ, scilicet administris: Item cum flammeo incendio: Item cum hortationis clamore & voce Archangeli, ac Dei tuba, ad cuius sonitum mortui omnes resurgent: Reliqui rapiuntur cum eis in nubes in occursum Domini.

Matth. 25.
2. Theff. 1.

LI.

Illa ipsa magna ex parte ex Sibyllinis oraculis & aliis scriptis gentilium demonstrat Lactantius, quam nonnulla alia dubiæ fidei & extra Scripturam admiscet: vt de cœlo, quod intempesta & tenebrosa nocte aperietur, de gladio; qui de repente è cœlo cadet, & similia.

Lib. 7. In 8.
c. 19.

LII.

Et incredibilis erit procul dubio illius iudicij maiestas, quando quidem virtutes cœlorum, vt est apud Lucam, mouebuntur, quod vt nemo comprehendere, sic nec iustè reprehendere poterit: neque ibi egebit Deus testibus, neque corrumpetur muneribus. Nemo quippe accusator sistetur præter vniuscuiusque conscientiam, & propria facta.

Luc. 21.

August. lib.
2. de Ciuit.
Dei, c. 23.

LIII.

Curiosè autem de vltima illa tuba non est disputandum, cum metaphorâ sumtâ à regibus, qui suos habent tibicines suasque tubas in suis solennitatibus, terribilis ille sonus Archangeli & illius vocis quæ findet petras, monumenta aperiet, & quam mortui ipsi exaudient, significari videatur.

Iohan. 5.

LIV.

Quapropter etiam in illo instanti, & ad illam gloriosam ac subitam vocem, & totius huius machinæ concussionem plangent omnes tribus terræ, illi in primis,

Matth. 24.
Apocal. 1.

mis, qui ante securi omnes admonitiones eludebant,
& quos vermis malæ conscientia miserè rodet: dum
pij faciliè erigentur, & à quatuor ventis, id est, ex
quatuor mundi plagis ab Angelis colligentur in re-
gnum cœlorum.

Marc. 13.

L V.

De altero, nempe de sententia ferenda sic loqui-
tur Scriptura; futurum, vt sedens iudex super thro-
num gloriae suæ, & coactis coram eo omnibus genti-
bus, separet alteros ab alteris, vt pastor separat oues ab
hœdis: & oues quidem à dextris, hœdos ad sinistram
statuat.

Matth. 25.

L VI.

Ac oues quidem siue eos, qui vocem eius audie-
runt cum obedientia fidei suauissimè compellabit,
vocans illos Benedictos, id est, vt Matth. 24: Electos.
Et benedictos benedictione Spirituali in Christo. E-
phes. 1. quibus paratum Regnum cœlorum à iactis
fundamentis mûdi: ex gratia sc. antequam boni quid
essent operati.

L VII.

Rom. 2.
2. Corinth. 6

Quod ergo alibi secundum opera retributurus cui-
que dicitur Dominus, siue congruenter ad id quod
fecerit bonum, vel malum: nihil facit pro merito ope-
rum statuendo, vt nonnulli imperiti astruunt: quia
non propter opera dicitur retribuere vitam æternã,
cùm nulla sit proportio nostrorum operum cum vita
æterna: Sed secundum opera: quorum alia, bona sci-
licet erunt fructus fidei, & signa Electionis, & inhabi-
tantis Spiritus Dei in nobis: alia, nempe mala, incre-
dulitatis, & Spiritus maligni effecta in reprobis.

L VIII.

Rem ita se habere, patet ex eo quod Christus di-
cit,

cit, eum qui non credit iam damnatum esse, sententia videlicet interlocutoria. Item, quod Paulus scribit illo ipso capite secundo ad Romanos, ex quo paulò antè locus oppositus fuit, Dominum iudicaturum de occultis hominum, ex Euangelio, quod annunciauit. Iohan. 3.

LIX.

Euangelium autem redarguit in primis peccatum incredulitatis, tanquam radicem aliorum peccatorum, & magno consensu docet nos non ex operibus, sed gratis propter Christum iustificari, seruari & consequi vitam æternam. Iohan. 16.
Rom. 3.
Galat. 3.
Ephes. 2.
Tit. 2.

L X.

Sicut porrò Regnum cælorum paratum dicitur electis: sic reprobis & impiis, vt antithesis postulat, paratus est ignis æternus: quem etiam disertè Christus ait paratum Diabolo & angelis eius, & per consequens iis, quos tanquam emancipia vinctos tenuit, & excæcauit.

LXI.

Ac his reddet Deus pœnas æternas & secundum opera, & propter opera mala, quæ merentur pœnas æternas, & eis remitti non potuerunt, cùm non crederint in nomen Domini nostri Iesu Christi.

LXII.

Et quemadmodum, oculus non vidit, auris non audiuit, nec mens in terris assequi potest magnitudinem gloriæ, & felicitatis piorum, quando venerit Christus vt glorificetur in sanctis suis & admirandus fiat in fidelibus omnibus: ita nulla oratione exprimi potest horribilis cruciatus, & quidem æternus impiorum, qui in Scripturis iam tetro carceri, iam extimis tenebris, iam igni inextinguibili, cum stridore dentium, 1. Cor. 2.
2. Theff. 1.
Matth. 5.
Matth. 25.
Matth. 25.

C tium,

tium, planctu & eiulatu horrendo, perpetuaque eiectione à conspectu Domini assimilatur.

LXIII.

EXECV-
TIO.

Ad Deme-
triam.

Quod ad tertium attinet: confestim exclusâ omni appellatione fiet EXECVTIO, & ad suam confusio- nem in æternum pœnam serò credent multi, qui in vi- tam æternam credere noluerunt, inquit B. martyr Cyprianus: Abibunt isti in supplicium æternum iusti verò in vitam æternam. Matth. 25.

LXIV.

Denique (vt pius ille martyr subiicit) hîc vita aut amittitur, aut tenetur: quando isthinc excessum fue- rit, nullus iam pœnitentiæ locus est, nullus satisfa- ctionis effectus.

LXV.

2. Theff. 1.
2. Petr 3.
Rom. 8.

In illo ipso iudicij momento machina hæc tota visi- bilis igneo incendio conflagrabit, & renouabitur tota rerum vniuersitas, quæ per peccatum, vanitati obnoxia facta fuerat, & liberationem filiorum Dei cum gemitu expectabat.

LXVI.

2. Pet. 3.

Luc. 21.

Hæc cum ita se habeant; quales (inquit Petrus) nos esse oportet in sanctis conuersationibus & pietatis of- ficiis: expectantes, cœlos novos ac terram nouam, in quibus Iustitia inhabitat. Quapropter, hæc expe- ctantes, studeamus, vt immaculati, & incontaminati ab eo reperiamur cum pace: excubantes, & omni tempore rogantes, vt digni habeamur, qui pœnas il- las futuras effugiamus, & coràm filio hominis confi- stamus.

LXVIII!

Et contrà intempestiua superborum liberarum- que ac legitimarum Synodorum iudicia auersantium præ-

præiudicia, & condemnationes, illud D. Pauli vsur-^{1. Cor. 4.}
pemus: Mihi pro minimo est, quod à nobis diiudi-
cer: Dominus is est qui me diiudicat: proinde nean-
te tempus quicquam iudicate, vsque dum vene-
rit Dominus, qui & illustraturus est oc-
cultas tenebrarum, & consilia
cordium manifesta
faciet.

F I N I S.



prudentia, & condempnatione; Quod si
penitus: Mihi pro merito est, quod a nobis dicitur
est Dominus, et in me dicitur: proinde non
est in me, sed in illis: ut in illis
in Dominum, et in illis dicitur: et in
celis, et in terra, & in
cordium mansuetudo
tacet.

V I N T



Umg. VI 45

ULB Halle 3
002 379 767



s. b.

WDA



THESES CHRISTIANAE
DE
MAGNIS ET
VLTIMIS CO-
MITIIS.

Scriptæ, & propositæ à

DANIELE TOSSANO S. THEOLOGIAE
D. ET PROFESSORE IN ACADEMIA
Heidelbergensi: *Vt ad nostri consolationem &
exsuscitationem ad pietatis officia, vltimis
his temporibus serio expendantur:*

De quibus in publica disputatione respondebit
eruditus Iuuenis,

HERMANNVS LIGNARIDVS VVEST-
PHALVS, S. THEOLOGIAE CANDIDATVS.

Ad diem xxxi. Augusti, horis matutinis.



HEIDELBERGÆ,
Apud Abrahamum Smeßmannum.
cId. Id. xciv.

